

1083 paniam transiturum. Tum demum ajunt, Leonem Pontificem, si precibus aut minis non posset, vi eorum motus inhibere statuisse: paratoque ad hoc ipsum valido exercitu, haud æquo marte ad Beneventum conflixisse: foedaque clade accepta, ex acie in propinquum se oppidum recepisse. Sed ad eam pugnam quum nihil animum remisisset, hominem ingentis spiritus denuo circumspicere cœpisse, qua vi, quave arte Normanicum nomen ex Italia tolleret: sed irriti post id tempus omnes illius conatus fuere. Leone autem defuncto, Nicolaus Pontifex ejus gentis arma haud sollicitare ausus, satis cautum rebus Ecclesiæ credidit, si annuo tributo gratuitaque militia (quando opus esset) cum Ruberto pacta, confessionem alienæ rei Normano expressisset. Hæc ferme sunt, quæ de primis motibus ejus gentis quidam tradidere. Non desunt, qui ex Gallia, ut diximus, Cisalpina scribant Rubertum originem habere, omni Gallicæ vetustatis mentione omissa, ajuntque, Tancredem ejus terræ Regulum bisfenos habuisse filios, quorum omnium Guilelmum cognomento *Ferrabach*, & Rubertum Guiscardum maxime celebrant. Negant præterea ea, quæ proximo loco de Normanis scripsimus, Ruberti auspiciis esse gesta, sed Guilelmi fratris: nec, quod plus est, ita rem ut illi quos secuti sumus, sed omnino diversa digerunt ratione: Campaniam & Lucaniam non ab ea gente occupatas, nec Saracenos inde pulsos: sed Guilelmum cum Campano Salernitanoque Principibus adversus barbaros qui Siciliam oppresserant, socia arma junxisse: nec quidem multo post Molochum, qui Appulia Calabriæque pro Græciæ Imperatore præterat, in socium expeditionis acceptum: atque ita quaternis exercitibus junctis facile barbaros ex Sicilia ejectos. Verum pacata insula Molochum, imposito præsidio, Imperatori non sociis insulam receptam videri voluisse. Quod ipsum, quum ægre Normanus tulisset, citato agmine ex insula in Italiam, quæ proximum fuit, transfretasse, Melphiamque in Appulia obsidione cinctam armis premere occepisse. Ad quam armis levandam, quum Molochus ex insula properasset, ibidem haud dubio eventu dimicatum, eumque victum exutumque exercitu in

Græ-